

tis imputentur, sicut in ebriis, quod est virtualiter esse humanas, vel liberas. Actiones etiam secundo primæ sunt humanæ imperfecto modo, et quasi tendentes, et disponentes ad perfectam libertatem, et ideo sufficiunt ad peccatum imperfectum, eo modo, quo humanæ, et liberæ sunt. Et sic quantum ad modum, non sunt proprie, et perfecte humanæ, licet quoad substantiam sint propriæ hominis, ut homo est, ut quia intitative procedunt ab intellectu, et voluntate. Ad id vero quod dicitur de actione instantanea respondetur actionem liberam, et deliberatam formaliter, et in se posse fieri in unico instanti; sicut in unico instanti sol illuminat lunam, et luna terram, et intellectus proponit voluntati, et voluntas amat, sic potest amare finem, et ex fine media, unico instanti: quoad actiones vero antecedentes, et præsuppositas, potest requirere tempus per accidens, prout a nobis exercentur per plures actus, procedendo de imperfecto ad perfectum; in Angelis autem unico actu, et instanti, potest totum hoc fieri, quia sine discursu, et sine tempore operantur. Primus autem actus potest libere fieri, quia licet in eodem instanti, non possit simul conjungere quis utrumque actum, potest tamen divisive quemlibet operari, et ad hoc potestatem habet in ipsi instanti, dum incipit operari, non ad faciendum utrumque simul, quod est facere utrumque in sensu composito, sed habet in illo instanti potestatem ad faciendum quemlibet divisive, seu in sensu diviso, nec ad hoc dependet ex antecedenti tempore, ut talem habeat potestatem, sed ex universali potestate, et dominio, quod habet super utrumque actum in eodem instanti. Plura circa hoc diximus præcedenti tomo secundo, in prima parte agentes de peccato Angelorum, disp. xxiii.

Plura vero quæ hic ab aliis solent disputari de causalitate finis in quo consistat, de conditione ad causandum requisita, scilicet, quod sit in apprehensione, a nobis tractata sunt in physicis q. xiii, ubi videri possunt.

ARTICULUS II.

Utrum recte ostenderit D. Thomas quibus conveniat agere propter finem?

Sub hoc titulo examinanda veniunt ea, quæ D. Thomas agit in primo et secundo articulo ejusque probationes, propter cujus doctrinam declarandam præcedentia fundamenta jacta sunt in articulo præcedenti.

Duo ergo sunt, quæ D. Thomas præstat. Primum est, quod naturæ rationali convenit agere propter finem tali modo, scilicet, ex voluntate deliberata. Secundum, quod soli naturæ rationali id convenit, reliqua agentia operantur, ut mota ab alio, non ut se moventia, seu determinantia in finem, sed ut pure mota, vel instigata, seu instinctu acta. De Deo vero, an conveniat ei agere propter finem, hic non tractat, quia tractatum reliquit i p. q. XLIV, art. IV.

RECTE D. THOMAS PROBAT NATURAM RATIONALEM AGERE PROPTER FINEM.

I. Ex principiis jactis, explicatisque præcedenti articulo non erit difficile, probationes istas deducere. Prima probatio est, in argumento sed contra, in hunc modum. Omnia quæ sunt in aliquo genere, derivantur a principio illius generis, sed finis est

principium in operabilibus in homine, ut patet per philosophum i physic. ergo homini convenit in suis operabilibus agere propter finem. Quæ consequentia evidens est, quia si finis est principium in operabilibus hominis: ergo operabilia humana derivantur a fine, derivantur autem ab illo, in quantum sunt propter ipsum, quia in genere causæ finalis derivantur: ergo operabilia hominis sunt propter finem, et sic homini convenit operari, seu agere propter finem.

In duabus vero propositionibus a D. Thoma assumptis, de illa minori, scilicet finis est principium in operabilibus, nulla est difficultas; constat enim finem esse causam, ut res fiant propter illum, et ex intentione, seu amore illius, alioquin res fient a casu, si ex aliquo fine non causentur: ergo finis principium, et causa est operabilium in homine: ab eo enim quod intendimus sumimus initium operandi, et sic in genere operationum humanatum, finis se habet, ut principium, quia se habet, ut intentum, et ab intento incipit operatio.

II. Circa majorem vero propositionem, scilicet omnia quæ sunt in aliquo genere derivantur a principio illius generis, vix aliqua posset esse difficultas, nisi propositio hæc, aliquantulum inverteretur ab aliquibus expositoribus, qui illam sic proponunt: « Quod est primum in unoquoque genere, est causa cæterorum. » Et rursum quia illud vocari solet primum in unoquoque genere, seu linea, quod intra illam perfectius, et principalius est, seu maxime tale, explicatur ulterius propositio illa, sic: Quod id quod, in aliquo genere est perfectissimum, seu maxime tale, est causa cæterorum illius generis, seu lineæ. Et tunc patitur plures instantias. Nam in genere animalis

homo est præcipuum, et perfectissimum illius generis, et albedo in genere colorum, et tamen neque homo causat cætera animalia, neque albedo alios colores, imo in omni fere genere, prima species non causat alias. Et occasione hujus, quia Aristoteli tribuitur illa propositio, inquiritur de sensu Aristotelis, et quid circa eam tradiderit.

III. Est ergo notandum, quod tribus modis invenimus hanc propositionem. citari a D. Thoma, seu adduci. Primo, in prima parte, q. ii. art. iii. Maxime tale in aliquo genere est causa omnium, quæ sunt illius generis. Citatur ex secundo metaph. Secundo, adducitur a D. Thoma iii p. q. lvi, art. primo hoc modo; Quod est primum in quolibet genere, est causa omnium quæ sunt post, ut dicitur in secundo metaph. Tertio, in hoc loco, scilicet articulo primo hujus questionis ponitur a D. Thoma modo dicto: Omnia quæ sunt aliquo genere, derivantur a principio illius generis. Et hæc ultima propositio magis videtur explicare vim, sensumque cæterarum, eo quod, ut aliquid in uno genere sit causa cæterorum, non sufficit esse primum, id est, perfectissimum, seu principalius, aut nobilius: sed requiritur, quod ita sit primum, quod sit principium, ita quod alia sint ei subordinata, et quasi principiata ab ipso. Unde D. Thomas explicans hoc axioma 2-2. q. clxiii, art. iii ad tertium dixit intelligi in his, quæ per se sunt ordinata, in his enim, inquit, oportet id quod est primum esse maxime tale: et adduxerat illud axioma, ex philosopho ii met. Et vere sic intelligendus est philosophus, tum in illo loco ex secundo met. cum in decimo met. c. ii, ubi similem propositionem ponit. Nam in primo loco dicit Aristoteles sic: « Unum-

quodque vero id ipsum maxime est, secundum quod aliis univocatio inest, ut puta ignis calidissimum, etenim cæteris, hic est caliditatis causa, » in secundo autem loco, sic dicit: « Maxime autem mensuram esse, cujusque generis primum. » Itaque ubi est univocatio, id est, genus, quod univoce prædicatur, seu quodcumque aliud, quod dominationem similem, et ejusdem nominationis tribuit, et datur aliquid intra illud genus, seu intra illam univocationem, quod sit maxime tale, et consequenter alia, quæ minus sint, seu denominentur talia, tunc illud quod est primum (non quomodocumque, sed primum tamquam maxime tale, et principium, cui alia per se subordinantur) est causa cæterorum in ratione illa, seu denominatione participanda. Si vero species unius generis, seu quæcumque contenta sub aliqua denominatione, ita se habeant, quod unum non sit per se subordinatum alii, sed sine subordinatione contenta sub genere, in his quantumcumque una species, sit nobilior, aut perfectior altera, aut prior, seu prima in perfectione, non est causa cæterorum: quia etsi sit prima, non est principium, neque maxime talis, comparatione ad alia, quæ sint minus talia, et principiata ab illo principio. Unde aliud est esse perfectissimum, seu perfectius altero, aliud maxime tale, et aliud est esse principium, aliud primum. Semper enim, quod maxime est tale, supponit in illo genere esse magis et minus, quod utique per id, quod maxime est tale, mensurari, ac regulari debet in eo, in quo maxime est tale, et id quod est principium est causa, seu ratio, quod principiata sint talia, quando subordinatio, seu ordinatio per se est inter illa. Nec requiritur, quod si causa aliorum solum effi-

cienter, sufficit quolibet genus causæ perfectivum, et a quo alia participant, sive in genere causæ exemplaris, sive finalis, sive alterius. Nec etiam requiritur, quod sint in eodem genere loquendo de genere logico, et rigorose dicto, sed lato modo, prout dicit prædicatum ejusdem denominationis, sive genus logicum sit, sive non; sicut in genere veri, in genere entis, in genere calidi, in genere, modi, derivantur, denominanturque aliqua ab eo, quod est maxime verum, aut primum verum, aut maxime ens, aut bonum.

IV. Neque contra hanc explicationem hujus axiomatis, ab ipso D. Thoma intellecti, et ab Aristotele expressi, quidquam momenti affert Vazquez in dubitatione prima hujus primi articuli, quia solum affert instantias, in his speciebus, quæ inter se subordinationem non habent, ut homo respectu aliorum animalium: homo enim licet sit perfectius animal, et prima species, non tamen principium aliorum, neque maxime tale, id est, maxime animal, comparatione aliorum, magis vel minus participantium animalitatem. Videatur expositio, quam tradidimus huic axiomati I tom. I p. circa quæstionem II, disp. III, art. II, explicando quartam rationem D. Thomæ quæ omnino consonat expositioni hic traditæ.

V. Hoc supposito, vis rationis D. Thomæ ex ista explicatione hujus majoris, sic deducitur, et explicatur. In genere operationum humanarum participantium bonitatem, seu malitiam, datur aliquod primum seu aliquod principium, unde bonitas illa derivetur, et quod sit maxime tale, et principium in genere habendi bonitatem, ergo est causa ratioque cæterorum participantium, de illo genere boni. Hoc autem principium est ipse finis,

finis enim est in genere boni, seu appetibilis, primum et maxime tale, seu principium, cui alia in bonitate, et appetibilitate per se subordinantur, quia ea quæ ad finem sunt, causa, et amore finis appetuntur, et propter ipsum; ergo homo, qui operatur hujusmodi actiones, propter finem debet agere, quia in operabilibus humanis, finis est principium et maxime tale, in genere bonitatis, et appetibilis.

VI. Secunda ratio, quam D. Thomas, ad idem probandum adducit in corpore articuli formatur triplici consequentia. Prima talis est: Illæ solæ propriæ dicuntur actiones humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum homo est: sed homo differt ab aliis irrationalibus creaturis, in hoc quod est dominus suorum actuum; atque adeo hoc est proprium hominis, ut homo est: ergo illæ solæ actiones propriæ vocantur humanæ, quarum homo est dominus. Secundo, consequentia est talis: Homo est dominus suorum actuum per voluntatem, et rationem, id est, per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis, et rationis: ergo illæ actiones propriæ humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt, aliæ vero actiones procedentes ab homine, possunt quidem dici actiones hominis, sed non propriæ humanæ, id est, hominis in quantum homo, et in eo, quod hominis proprium est. Tertia consequentia sic deducitur: Sed omnes actiones causantur ab aliqua potentia, secundum rationem sui objecti: ergo si actiones humanæ sunt illæ quæ procedunt a voluntate deliberata, oportet quod tales actiones causentur secundum rationem objecti voluntatis: objectum autem voluntatis est finis, et bonum: ergo oportet, quod omnes illæ causentur secundum rationem

finis, atque adeo in illis, homo agat propter finem.

VII. In hoc discursu, vis primæ, et secundæ consequentiæ, explicata est articulo præcedenti in ultima difficultate, et ostensum est efficacem esse utramque consequentiam, loquendo de eo, quod est proprium hominis, ut homo, non solum quoad substantiam, et entitatem operationis, sed etiam quoad modum operandi, tunc enim simpliciter actio est propria hominis, in quantum homo, si in ipso etiam modo operandi propria est hominis, qui modus proprius operandi est libertas, indifferentia, potestasque super actum suum. Et sic proprie sunt actiones humanæ, seu hominis, ut homo ex parte modi operandi, illæ quæ sunt voluntariæ, et liberæ. Et ita efficaciter probat D. Thomas procedere a voluntate, et esse sub dominio hominis, illas actiones, quæ propriæ humanæ sunt. Quod totum explicatum est in præcedenti articulo citato.

VIII. Circa tertiam vero consequentiam, ostendimus vim illius, præcedenti articulo, tractando primam difficultatem circa finem ejus. Recte quippe probat D. Thomas omnes actiones humanas subordinari fini, ex eo quod finis, et bonum, est objectum voluntatis; non quia probet causalitatem finalem ex objectiva, et esse aliquid propter finem, quia est ex objecto, nec enim causalitas finalis deduci potest ex formali, qualis est objectiva; sed directe probat D. Thomas universalitatem suæ propositionis, scilicet, omnes actiones subjici fini, ex eo quod finis objectum est talis potentia, a qua exeunt actiones humanæ, exeunt enim omnes a voluntate, vel elicitive et immediate, vel imperitive et mediate. Ergo omnes actiones subordinantur ei, quod est objectum talis potentia, seu volunta-

tis. Si ergo finis objectum voluntatis est, ei universaliter omnes humanæ actiones subordinantur: quia objectum alicujus potentiæ universaliter ambit, et continet omnes actiones talis potentiæ. Ex eo ergo quod finis, objectum est, recte inferitur universalis subordinatio actionum humanarum ad finem. Inde vero recte inferitur, quod sint propter finem, seu finalizentur ab eo, quia si finis est, qui causalitatem finalem exercet, idem est subordinari fini, atque subordinari causalitati ejus: atque adeo ubi finis est objectum, omnes, quæ sub tali objecto sunt, sub causalitate finis sunt, et propter ipsum sunt, et non solum sub causalitate objectiva, quæ est causalitas formalis extrinseca, qua id quod induit causalitatem objectivam, supponitur esse finis, habereque finalem causalitatem; ergo si assumitur in objectum potentiæ, et actionum ejus, non perdit causalitatem finalem, sed extendit in illas, ambitque omnes.

IX. Solum restabat probare in hoc discursu, quod finis sit objectum voluntatis, et idem sit finis, et bonum, ubi introduci videtur illa operosior difficultas, an finis sit adæquate, idem quod bonum, ita quod media intrinsece, et in se rationem boni non participant. Et iterum, an finis sit adæquatum objectum voluntatis, an solum principalius; media vero etiam rationem objecti participant, saltem inadæquate. Quam disputationem reservamus pro quæstione octava. Nunc enim vis rationis D. Thomæ independenter ab ista difficultate procedit. In quacumque enim sententia tenet, ut articulo præcedenti diximus. Nam finis, vel est adæquatum objectum voluntatis, in una sententia, quia solum agnoscit bonitatem in fine, non in mediis, nisi extrinsece. Et in hac sententia, liquidum, et sine

difficultate manet, quod finis universaliter ambiat omnes actiones voluntatis, seu omnes actiones humanas; quia adæquatum objectum voluntatis est: ergo ad omnes voluntatis actiones se extendit. Vel finis si non est adæquatum voluntatis objectum, est tamen primum, et principale in ratione formali, quia præbet mediis motivum, rationemque appetibilis, sicut lux coloribus vim movendi visum, appetuntur enim media causa, et amore finis. Et hoc modo etiam ambit finis omnes actiones voluntatis, sicut lux omnes colores, et omnes actus videndi: quia formale motivum præbet appetibilitati eorum, quæ sunt ad finem, atque adeo, et motivum operationibus, quæ circa illa sunt. Et hoc secundo modo ad minus, se habere finem in ratione boni, et motivi voluntatis, ostendimus infra circa quæstionem octavam. Quare ratio D. Thomæ solida est.

X. Quæ vero dicantur actiones humanæ, si quidem omnes probantur esse propter finem, et quomodo dicantur proprie actiones humanæ, quæ ex voluntate libera procedunt, et quomodo id aliquibus conveniat perfecte, alius imperfecte, quibusdam formaliter, aliis eminenter, ostendimus præcedenti articulo circa tertiam difficultatem, et aliquid amplius statim attingemus.

RATIO FINIS ULTIMI QUOMODO NON
CONVENIAT ACTUI ELICITO VOLUN-
TATIS?

XI. D. Thomas in solutione ad secundum, articulo primo, affirmat, quod actio humana elicita a voluntate, impossibile est, quod sit ultimus finis, quia objectum voluntatis est finis: et impossibile est,

quod primum appetibile, sit ipsum appetere, seu velle. Si autem aliqua actio humana, sit ultimus finis, illa debet esse imperata a voluntate, et ibi aliqua actio, saltem ipsum velle, est propter finem. Unde concludit D. Thomas quod quidquid agat homo, agit propter finem, etiam agendo actionem, quæ est ultimus finis. Quæ verba satis declarant mentem S. Thomæ, quod non solum actiones, quæ versantur circa media, sed etiam quæ versantur circa finem, dicuntur propter finem esse, ita ut non solum finis, respectu earum se habeat, ut objectum specificans; sed ut causa finalizans: quia etiam ad eas habendas allicit operantem, finis enim in cognitione positus, voluntatique coaptatus, et proportionatus, non solum ad amorem mediorum allicit; sed etiam et multo vehementius, ad amorem sui. Et quando dicitur, quod finem allicere, et finalizare, est amore sui trahere, et facere, ut aliquid ametur, amore sui non oportet intelligi de amore pro actu amantis, quasi prius sit finis amatus, quam finalizans; sed ly amore, est idem quod gratia, seu bonitate sui, quasi sui causa, et non alterius ratione, ametur. De quo latius diximus q. xii. physice. art. iii, et articulo præcedenti.

XII. Dubium nihil omnino est, circa dictum D. Thomæ, quando negat actum voluntatis elicito, posse habere rationem finis ultimi, quod tamen non denegat imperato. Et est difficultas in primis, de quo fine loquatur D. Thomas de fine quo, seu de consecutione finis, an de ipso fine qui, seu de re consecuta? Nam si loquitur de fine qui, seu pro re consecuta, verum est, quod non potest esse ipse actus elicito a voluntate, eo quod actus ipse voluntatis, non est finis ultimus, verus, et realis, hic enim est Deus; sed hoc mo-

do etiam actus imperatus, non potest esse ultimus finis, quia non est ipse Deus. Quod si dicatur, non posse actum imperatum esse ultimum finem verum, seu bonum verum, bene tamen apparens; sicut avarus potest pro fine ultimo habere acquisitionem, usumque pecuniæ, et voluptuosus delectationem, operationemque tactus, contra est, quia hoc modo, etiam non repugnabit habere pro fine ultimo, et apparenti actum aliquem voluntatis, verbi gratia amare, vel delectari interiori de aliquo, et in illo actu interiori complacere, et sistere: ergo pari passu currunt actus elicito voluntatis, et imperatus. Si vero loquamur de fine quo, scilicet, de ipsa adeptione finis, non probat sufficienter D. Thomas non posse consistere in actu voluntatis elicito, ex eo quod actus non potest esse primum appetibile, seu primum objectum; diceretur enim, quod non potest esse primum objectum, ut quod, seu, ut res volita, non tamen ut quo, id est, ut actus volendi, attingentiaque objecti. Deinde, quia in sententia Scoti, quod beatitudo formalis fit per actum voluntatis, non potest negari, quod finis ultimus, ut quo, sit actus elicito a voluntate: quam sententiam non impugnat hic D. Thomas, et sic non probat actum elicito, non posse esse finem ultimum, ut quo. Tertio, quia loquendo de fine ultimo, ut quo, seu de adeptione ipsa finis, falso diceret D. Thomas, et præsupponeret in initio solutionis, quod actio, quæ est finis ultimus deberet esse voluntaria. Oppositum enim instatur, in ipsa visione divinæ essentiæ, quæ est beatitudo formalis, et ut quo; hæc enim est actio, et non voluntaria, quia nec elicita a voluntate, cum sit actus intellectus, neque imperata, cum non subsit ejus libertati, et imperio; sed regulet, et antecedit actum volun-

tatis in patria : ab actu autem viæ, imperari non potest. Imo etiam finis ultimus, ut res, seu finis qui, non est necesse quod sit actio voluntaria, cum possit aliquis ponere finem suum in delectatione naturali, verbi gratia in pulsatione vitali cordis, in sanitate habenda, vel conservanda, in delectatione venerea, quæ naturaliter contingeret, et similibus. Denique, actio imperata, supponit elicitam, ab eaque dependet, cum ab illa derivetur : ergo si imperata, potest esse finis ultimus, a fortiori elicita, quæ prior, et perfectior est illa, ejusque causa. Nec poterit assignari ratio, cur actio alterius potentiæ, quæ imperabilis est a voluntate, possit ab ea haberi pro fine ultimo, quia vult ; et non possit aliqua actio elicita haberi, etiam a voluntate pro fine ultimo, si velit in tali actu constituere finem sibi, sicut in actu imperato. Præsertim, cum voluntas possit reflectere supra actum suum illumque habere pro objecto ; ergo, et pro fine, ut patet in eo, qui vellet habere delectationem internam pro fine ultimo, in eaque sistere in executione, tunc enim esset prima in intentione, et consequenter finis.

XIII. Denique, confirmatur totum hoc, et roboratur dubitatio, ex his quæ D. Thomas infra docet, q. i, art. iv, ad secundum, ubi similem doctrinam ponit, dicens : « Quod primum objectum voluntatis, non est actus ejus, sicut nec primum objectum visus, est visio, sed visibile. Unde ex hoc, quod beatitudo pertinet ad voluntatem, tamquam primum objectum ejus, sequitur quod non pertinet ad ipsam, tamquam actus ejus. » Quæ consequentia videtur difficilis, et æquivocare, de beatitudine pro re, seu objecto, et de beatitudine pro actu, seu pro adeptione ; licet enim primum objectum voluntatis, quod attingitur, ut res volita, non sit ac-

tus ejus, cum actus objectum supponat, a quo specificatur, et sic beatitudo, quæ est objectum, et res, non possit esse primus actus voluntatis, non tamen inde conficitur, quod primus actus voluntatis, non possit esse adeptio beatitudinis, et beatitudo, ut quo, habens pro objecto beatitudinem, quæ est res, et non actus ipse voluntatis. Quare sicut hic procedit D. Thomas et loquitur de beatitudine, ut quo, seu de adeptione beatitudinis, et tamen non probat primum actum voluntatis non esse beatitudinem, ut quo, ita neque id probavit in quæstione prima, art. i, ad secundum. Si autem loquitur, utrobique de fine qui, seu de beatitudine objectiva, neutro loco probat intentum ; quia neque probat actionem imperatam, posse esse finem objectivum, non vero elicitam : cum par ratio in utraque currat ; neque in quæstione tertia citata probat adeptionem beatitudinis, non esse actum voluntatis, si divertit ad finem objectivum, et relinquit formalem, qui est finis quo.

XIV. Nihilominus dicendum videtur absolute, quod D. Thomas in hoc loco hujus primæ quæstionis art. i ad secundum, loquitur de fine qui, seu de eo, quod est finis, ut res, et ut objectum, quæ est secunda solutio Cajetani super præsentem articulum, tractando hanc difficultatem, et sic sequuntur plures Thomistæ, videturque convinci rationibus dubitandi allatis. Certe si D. Thomas loqueretur de fine quo, seu de adeptione finis ejus ratio inefficax est, nisi supponat probandum, et id quod inferius est disputandum, scilicet, quod beatitudo formalis, non consistit in actu voluntatis. Quamdiu enim hoc non probatur, incertum manet dicere, quod finis ultimus quo, seu consecutio finis, non sit actus voluntatis. Deinde, quia D. Thomas probat in præsentem, quod

ipse actus voluntatis elicited, repugnat, quod sit ultimus finis, ex eo quod finis est objectum voluntatis, sicut color est objectum visus. Si ergo vellet probare, quod actus voluntatis non est adeptio finis ultimi, et beatitudo formalis ; disparatum medium probationemque assumeret, scilicet, ideo actus elicited voluntatis non est adeptio finis, quia finis est objectum voluntatis ; constat enim, quod finis, qui est objectum voluntatis, est finis res, seu finis objectivus, non finis formalis. Ex eo autem, quod finis objectivus, seu finis, ut res, est objectum voluntatis, non recte probatur, quod actus voluntatis, non sit ejus adeptio : recte autem, et efficaciter probatur, quod si finis, ut res, est objectum voluntatis, non potest actus ipse voluntatis, esse talis finis, quia non potest sibimet esse objectum. Quod etiam patet, ex subjunctis verbis, et exemplo, quod adducit D. Thomas, quod sicut est impossibile, quod primum visibile sit ipsum videre, ita est impossibile, quod primum appetibile, sit ipsum velle. Primum enim visibile est, id quod videtur ut res, non id quo aliquid videtur. Ergo, et primum appetibile, est primus finis, et bonum, ut res, et objectum appetitum, non consecutio ipsa, seu actus quo assequimur finem. Et non disputamus modo, an primus actus elicited a voluntate, possit esse assecutivus finis ultimi, ut si Deus crearet Angelum, vel animam, cum visione gloriæ, et actu charitatis, ut anima Christi creata fuit : tunc enim primus actus a voluntate elicited, esset amor fructivus finis ultimi, et in sententia Scoti, esset ejus assecutivus. Cæterum de hoc, nunc non disputamus, quia id pertinet ad quæstionem tertiam, art. iv, ubi id tractat D. Thomas, an possit actus voluntatis esse beatitudo formalis, et assecutio finis

ultimi ; sed tota disputatio est, an possit actus elicited a voluntate, esse finis ultimus qui, seu ut res volita, et beatitudo objectiva, ita quod sit primum appetibile ; sicut visio, an possit esse primum visibile, non vero agit de actu assecutivo finis, de eo enim agendum est, quæstione tertia sequenti, ubi tractatur an consistat beatitudo formalis, seu assecutio finis ultimi, in actu voluntatis ; non ergo hic tractat D. Thomas de fine quo, seu assecutione finis, sed de fine qui.

XV. Denique id manifeste deducitur processu D. Thomæ et argumento quod posuerat et cui respondet, in illa solutione ad secundum. Erat enim argumentum ad probandum, quod non omnia agit homo propter ultimum finem quia : « Id quod est ultimus finis, non est propter finem ; sed in quibusdam ipsæ actiones sunt ultimus finis, » ut docet philosophus in primo ethicorum. Ergo aliquæ actiones non fiunt ab homine propter finem, sed potius ipsæ sunt fines. In hoc argumento loquitur D. Thomas de ultimo fine qui, seu de fine objectivo, non de formali, ergo etiam in solutione. Minor probatur, quia quando philosophus in illo ex primo ethicorum loquitur de fine, apertissime loquitur de fine qui, non de fine quo ; distinguit enim, quod finium, quidam sunt operationes, quidam opera, id est, operata. Quem locum adducens S. Thomas i. p. q. ciii, art. ii ad secundum, inquit : « Quod philosophus loquitur de finibus artium quarum quædam habent pro finibus, operationes ipsas, sicut citharistæ finis, citharizare ; quædam vero habent pro fine, quoddam operatum, sicut ædificatoris finis, non est ædificare, sed domus. » Ubi manifeste apparet, quod isti fines, sunt fines qui, seu fines objectivi, sunt enim res illæ, quas tales artes intendunt, et ha-